



FRANCISCUS PARTHINUS ROBO- RETANUS

Serenissimi Maximiliani Regis Bo-
hemiæ Medicus

PETRO ANDREÆ MATTHIOLO
præclarissimo Medico S. P. D.

NEMINI hoc unquam mortalium hætenus concessum fuisse video (præstantissime Matthiole) quantumcunq; in quavis præcelleret facultate, ut in tanta passim judiciorum, sententiarumque varietate, omnium desideria, & omnium animos æqualiter expleret. Atque in hac communi mortalium quidem infœlicitate nescio quomodo placatores, & longè plus semper moderatos se exhibent boni viri, in quibus & virtutis, ac singularis probitatis, simul & eximie eruditionis lux enitescit, quàm pravi, & perversi, qui quò majori implicati sunt incertitia, tanto & difficiliore, & in omnibus se morosiores præbent. Ut quod ignavia, vel mentis hebetudine, sive suo quodam infortunio non valuerint adipisci, id suæ imperitiæ tenebris in aliis obruere contendant. Quorum quum molesta, & inhumana sit ingratitudo, tum non ferenda est hæc in eis arrogans, & effrenata libido, qua non modò ipsi, quibus nihil bonum & elmatum placere potest, in optimis fastidiunt, sed & eo prorumpunt, ut etiam cæteris omne tollant emolumentum, & omni doctrinæ fructu, & utilitate spolient. Ac quamvis ea sit in te constantia, ea morum gravitas, ut parum, aut nihil curandam, & omnino negligendam tibi arbitreris Amathi cujusdam Lusitani hominis ingratisimi, & ab omni humanitate alienissimi, imperitissimam in tuis scriptis temeritatem: tamen postmodum nonnihil vereri mecum coepi, ne hæc animi tui magnitudo longius quàm par sit, evadat. Nam quum jam frequenter ad me delatum foret, te Apologiam, quam contra hunc ineptum hominem institueras, pariter & censuras in ejus gravissima errata penè ad finem perduxisse, non minus tua, quàm omnium reliquorum causa, capiebam animo non mediocrem voluptatem, quòd has defensionis partes per neminem commodius subiri, nec per ullum facilius, & clarius hujus insanam vecordiam, quàm per te ipsum retegere posse existimarem. Nunc autem quo consilio, quave mentis altitudine te aut tædeat, aut pudeat publicè facessere aliquid negotii cum isto nugatore, nescio laudem, an (quod mihi certè potius videtur) tuum hac in re nonnihil vituperem propositum. Quòd si tibi persuades, ut non tanti æstimes Lusitanum, quem nemo aditu, nemo congressu, nemo conspectu aliquo doctorum virorum meritò dignatur, ut indignum planè tibi judices, ut istam dissolutam, & præcipitem loquacitatem irretitam retundas, magis tuam eruditionem, quam summam esse nullus dubitat, quàm reliquorum consulis judicium. An quo singulari doctrinæ lumine faciliè tu hujus falsitatem animadvertis, idem quoq; de omnibus censes? Erras profectò mi eruditissime Matthiole. Quot erunt, qui casu in hunc hominem incident, quos istius falsitas à veritatis studio impediatur? Quot ille nondum satis instructos, & in hac facultate roboratos suis calumniis à tuis pulcherrimis operibus

A, A 2

aver-

avertet? Qui quò infirmiores adhuc circa hujus scientiæ tyrocinia adhærescunt, aut nec dum tua doctissima scripta expenderint, tantò periculosiùs ab hoc veteratore inducentur. Qui adeò perfrixtæ frontis est homo in aliena reprehendendo, in suas fabulas intrudendo, adeò perfidiosus in alienis scriptis violandis & (qui imperitorum mos esse solet) adeò proclivis est in sua constituenda sententia, ut vel mediocriter doctos nonnihil fortè commoveat. Hujus impudentiæ tu non occurre? Eam quum tu sine omni tua molestia comprimere valeas, cum omnium reliquorum detrimento libidinosè grassari patieris? Dicam id, quod sentio, Matthiole, non tam ut cæteris in hac nostra medica disciplina præstantissimis viris aliquid derogem, qui pro sua humanitate summa, omnia tibi tribuunt, quàm ne tui oblitus esse videaris. Quis hac nostra ætate doctius in hac medica facultate elaboravit? Quis utilius, & luculentius hanc nobis majori diligentia, & eruditione illustravit? Ut excellentissimi ubique viri, quos maria, terræ, itinerum immensitas dividunt à tuo conspectu, hi animo, sermonibus, scriptis, literarum missione (ut tu optimè nosti) certatim velut ingentes, & immortales tibi gratias agant. Ego quidem (ut de me privatim ingenuè fatear) his tuis amplissimis communibus beneficiis sic me tibi devinctum, & adstrictum cognosco, ut nihil tui causa detrectare nec debeam, nec velim. Quis ita sit inhumanus, quæ in quoquam tanta sit immanitas, ut tuis pulcherrimis, & fructuosissimis elucubrationibus adjutus, his fruens, his quotidie se oblectans, non dico ingratitudinis, vel minimum indicium ostendat, sed hos tuos præclarissimos sudores immortalitatis, si possit (id quod fore non ambigo) gloria non compenset? non omnibus monumentis decorandos eos putet? licet nulla gloriæ cupiditas ad hoc te stimularit, qua major est tuus animus, nec ea te huc impulit, sed solus communis, & publicæ utilitatis amor, quo incredibiliter flagras, te inflammavit, ut omnes gravissimos susciperes labores. Tantane fuit in Lusitano ingratitudo, eane inhumanitas, ut nihil istorum recordetur? Non quòd ulli tantum largiar homini, ut tantam ei vindicem excellentiam, quasi nil omnino in eo deprehendi valeat, quod non leviter aliquem offendant, quod non tenuem aliquem apud alios mereatur reprehensionem. Nec tantum tu tibi asseris, ut (si quidem fecisse) emendatum te à Lusitano dolere queas. Usque adeone hominem esse immoderatum? Ita in aliorum labores impudentem? Sic ubique in alienis repellendis imperitum? Et quod ad te attinet, minus equidem sum sollicitus de ea modestia, pietate, gratitudine, quam ille imperitissimus homo tuæ præstare debuerat humanitati. Non tanti est id incommodum, ut corrigi, & refarci posse à quamplurimis doctissimis, & gravissimis viris dubitem. Nam ut innumeros hoc nostro prætermittam tempore eruditissimos, & plenos leporis, venustatis, humanitatisque viros, qui quo sunt ingenii cultu, quo flagrantissimo literarum amore, in perpetuum obligatos se tibi profitentur, tum vel unus Cronemburgius Colonienfis, summus & præstantissimus medicus tuo cordi hac in parte abundè satisfaciatur. Cujus etfi doctissima scripta à te versata non ignorem, audi obsecro qua gratitudine, autoritate, quàm doctè, quàm luculenter in suo de compositione medicamentorum libro breviter suum in te intimum affectum declare, & Lusitani illius nequitiam, & indoctam improbitatem redarguat, ac perstringat. *AMATHVS, INQVIT, LVSITANVS* frequenter odiosa confidentia, virus invidentiæ suæ in clarissimum, modestissimumque virum Matthiolum Senensem eructat, dum passim nimis intempestivè hujus doctrinam super commentariis in Dioscoridem editis coarguit, ac insectatur: quibus probatæ fidei hominibus nil aliud, quàm malignum animum, & perniciosam invidiam ostentat, ipse interim infinitis modis dignus, qui ob magnam stirpium imperitiam, atque improbam in se translatam operam alienam (quod crimen est longè omnium turpissimum) velut è sublimi doctis veniat deridendus. Ecquid etiam enarrationibus suis inservit, quod non justissimo titulo uni Matthiolo acceptum referre debeat? A quo dum æmulandi studio dissentit, in graves, manifestosque errores imprudens homo prolabitur. Cujusmodi exemplum tum in hac planta, tum in Acanthio, tum Coronopo, tum Elichryso, ac in plerisque aliis visitur. Multò satius fuerat, quò doctiorem se aestimaret, eò quoque modestiorem se præstare, quod ingenuum Philosophum decet. Hactenus. Quid syncerius? Quid magnificentius hujuscemodi viri gravissimo testimonio? Ut recreare potius te debeant talium, & tot clarissimorum virorum centuriæ, quàm ut te moveat unicum inter homines esse portentum, quod omnem comitatem, gratitudinem, benevolentiam, & ipsam humanitatis naturam exuerit. Si monstri hoc sit simile, talem in lucem esse editum, & in commune humanum consortium fuisse productum hujuscemodi hominem, qui ea rodat, laceret, convellat, in ea insanat, & debacchetur, de quibus

Matthioli
laus.

quibus humaniter pares agere gratias nunquam poterat, minime tamen reformido, quin parum multi sint futuri, qui sua modestia istius intemperantiam convincant, qui sua gratitudine, & candore, illius insolentem malignitatem, & insaniam superent. Quorum synceritas, honestas, probitas, non te plus revocent, ac consolentur, quam istius barbaries te deiciat. Absit, ut non multo plus eruditissimorum virorum iudicia valeant, quam importunitas unius Lusitani. Hoc porro magis me affligit, quod quum tu ipse per te commodè, & opportunissimè confutare possis hanc audaciam, id per te fieri nolis. An aliorum patrocinia expectas? Quum alios non animus, sed ingenuus pudor ab hac dehortetur molestia cum isto subeunda homine. Alii suis impediti negotiis, alienæ difficulter se subiciant falci. Cateris aut non innotuit Amathus, aut (quod mihi est verisimilimum) tibi hanc reservant provinciam. Indignum se arbitrantur de ejus disceptare mente, & iudicio cum aliena temeritate, eo incolumi, & adhuc superstiti, cujus labores sint attentati, cui sua eruditio optimè sit cognita, & explorata, qui optimè se ipsum intelligat. Non decere id onus in ceteros rejici, quod ab eo sit accersitum, qui & id facile ferat, & majora portarit. Neminem aliena censent tutius, diligentius, fidelius, proteclurum, quam sua ipsius, in quibus suis honor, sua laus, sua gloria versatur. Cur defendam Matthiolum? Vivit ipse, ipse est superstes. Quæ studiosissimè est commentatus, ea nobis servet integra, hæc custodiat nobis salva, contra perverforum calumnias hæc nobis tueatur. Quare tuæ sit prudentiæ excellentissime Matthiole, ut quid hic te facere conveniat, sedulo prospicias. Et quid opus est magna hic, & longa consultatione? Quasi sit obicurum, quasi te ipsum id lateat, magis te in isto negotio tuæ obtemperare mentis generositati, quam nostri omnium expectationi. Vide *μη ἀποκρίναι ἀρτυροφία σκαυτῶν καὶ ἀσκήτων*. Suspecta tibi sit ea securitas, ex qua & tuæ auctoritati, & ceterorum studio non levis fortasse imminet jactura. Ne nimis securè permittas obrepere in gremium tuorum librorum *τὸ ἀμαθὺν τὸ ἀνοήτῳ* Lusitani. Excute istum scarabeum è tuis floribus, nec finas, ut suis molestissimis suisurris, & foetore ista contaminet, ex quibus optima, & roscida mella reliqui se confecturos sperant. Hic labor (& quis labor?) nisi ad cetera tua præstantissima monumenta, velut cumulus accedat, ea nos à te accepisse cognoscemus beneficia, quæ fuerint inchoata, non absoluta, splendide adumbrata, non expressa. Quid? Vereor Matthiole, ne qui sint futuri, qui istuctuum silentium molestè, ac adeò ferant acerbè, qui & priorum amplissimorum beneficiorum poenituisse te dicant, cum tanti ea non ducas, ut ea nobis ab hac contagione liberes. Propulsa nobis hanc molestiam, declina, obtunde omnem improbitatem, ut tutò nos in tuis luculentissimis operibus sciamus posse versari. Si te mortuo (quod Deus Opt. Max. avertat) Lusitanus ita nequiter tua invalisset opera, implorandus, & excitandus (credo) nobis eras, ut omni ignominia, macula, omni vel tenuissima aspersa labecula, tua nitidissima nobis restitueres opera. Nunc quid vivus cessas? Quod tunc à mortuo nos obtinere non posse penè iniquum putassemus, quanto id erit deploratius, quanto iniquius à vivo non impetrasse? Quid illud? Nihil ne te hoc movebit, quod victus, & tuo iudicio, quod gravissimum est, superatus, manum conferere cum isto imbelli transfuga abnuere censeberis? & ea jam tacitè condemnare, ob quæ ceteri suæ felicitati cum primis gratulantur? Scimus jam hanc operam à te inceptam, plus increbuit hic rumor, quod latius, & liberius hunc calceographus dissiparit. Ut hac quoque opera suas bibliothecas doctissimi complures locupletandas expectent. Hanc spem comprehensam, & mentibus nostris infixam, si tua præstantia defraudet, quid cogitabimus, cur ab incepto destiteris? Cur non id perfecteris, quod tu ipse inchoaris? An credere te posse quisquam credat Lusitani ineptiis? aut jure te reprehensum ab isto imperitissimo calumniatore fateberis? Nulla vel tenuissima irrepit hujuscemodi suspicio. Da quod à te magnifice expectamus. Exhibe quod lectu, & visu jucundissimum erit omnibus. Emitte quod jam penes te habes paratum. Quid abdis, quod non in lucem dare tuæ derogat existimationi, Lusitani inanem auget confidentiam? Quid dicet calumniator profligatissimus? Scripsi contra Matthiolum, rapui, suffuratus, deprædatus sum, quæ volui. Vivit Matthiolus, nil contradicit. Adeò nonnunquam plus juvat perfricare frontem, quam omnia tribuere doctrinæ. Vici nil repugnantem. Cedit Matthiolus Amatho. Hæc ne pro sua impudentia, si non effutiet, secum volutabit? Noli tantum locum dare hujus amentiae. Nobis nihil erit jucundius tua existimatione, nil dignius, nil contra hujus furorem vehementius, quam quod ex tuæ eruditionis armario deprometur. Effecit id jam antè tua præstans eruditio Matthiole, ut nihil vulgare, nihil mediocre, nihil non præclarum, & eximium omnes à te sperent. Noli te (rogo) in eam præcipitare opinionem, ut aliquid

AA 3

in tuis

in tuis bibliothecæ scriniis delitescat, quod nobis subtrahas, quod nobis inideas. Non patitur nostræ consuetudinis, & familiaritatis amor, ut hæc parum sollicitè, non satis anxie tecum pertractem. Tamen de medica sis materia ita benè & præclare meritis, ut nemo tibi deesse, nemo non omnibus beneficiis te cumulatissimè prosequi valeat, timeo tamen subindè, ne homines ingrati, invidi, malitiosi tua abutantur humanitate, & summo reipublicæ amore. Qui tunc demum veram se venari putant gloriam, si (id, quod nunquam, ut confido, adipiscuntur) suis maleficiis tuos nitantur præclarissimos obliterare labores: Ut quod liberali doctrina non potuerunt consequi, id imperitia, impudentia, furore nanciscantur. His, quæso, per nostram amicitiam, per communem omnium literarum amorem, quibus animum semper habuisti deditissimum, declara, quàm mala cecitate ruant. Aperi horum vanitatem, concute, dispelle istorum invidentiæ virus. Indica eis quam longè fuerat tutius sana in eis mente uti, quàm in illis suum furorem patefacere, ex quibus haurire poterant cum sapientissimis summam utilitatem. Infringe nobis hunc Amathum, qui antequam sapere didicerit, omnium se agitorem præbet. Quod quum tua postulet sapientia, eruditio, existimatio, tum nihil prius, nihil potius nos à te expectamus, quàm ut ea, quæ antea doctissimè nobis elucubraſti, ea nunc adversus hunc prædonem, calumniatorem, tuta, salva, illæsa, & intacta posteritatis memoriæ tradas, simul & ipsum suam imperitia, & erroribus infinitis ornes. Vale mi eruditissime Matthioli, & quàm celerrimè nostræ satisfacias omnium expectationi. Viennæ Austriæ, Quarto nonas, Septembris. 1557.



MAGNI-